

.lvii. ALIA .

Nunc ergo fratres karissimi in omnium primordiis sanctorum . nobis
nominare . laudare . et glorificare condecet eum .

qui cunctos condidit sanctos . per quem omnia facta sunt .

per quem cuncta subsistunt elimenta . Cuius sapien
tia nec incipit nec desinit in seculum . ut merito omnis
principium ac finis creaturae nominatur . ut de ea

per quendam sapientem dictum est . Omnis sapien
tia a domino deo est . et cum illo fuit semper et est ante eum ;

/130r/ Altitudinem celi et latitudinem terrae et profundum abyssi .

quis dimensus est? arenas maris et pluuie guttas et
dies seculi . quis dinumerat ipse solus inuestigare . me-

tiri . ac dinumerare haec omnia potest . qui celi
ambitu sua circuit sapientia . et in profundum abyssi
sua penetrat uirtute . Et egregius ille uersificator .

dei sapientiam omnia posse atque nosse . considerabat
dicens . Qui stellas numeras . quarum tu nomina solus
Signa . potestates . cursus . loca tempora nosti . Cuius
principium atque uirtutem apostolus spiritu sancto preuentus .

supra modum esse inuestigare humanum comme
morabat . Ó altitudo diuitiarum sapientie et scien
tia dei . quam incomprehensibilia sunt iudicia eius .

et inuestigabiles uie eius . Quis enim cognouit
sensem domini? aut quis consiliarius eius fuit ; aut
quis prior dedit illi et retribuetur ei? quoniam ex ipso
et per ipsum . et in ipso sunt omnia . ipsi honor et gloria
in secula seculorum amen .